

est (cf. Studemundus in Comment. in hon. Theod. Mommseni edit. p. 790). Quaternionis numerus in ima pagina 398 apparuit LXXXVIII, in pagina 404 LXXX, in pagina 122 autem LXXV: *post* V numquid aliud exstiterit — Ritschelius enim LXXXVII sibi legere visus est — Loewius decernere non ausus est. Partem earum lectionum quas novas protraxit Loewius idem in Anal. Pl. p. 149—174 ipse communicavit. Novas curas quas huic quoque fabulae adhibere voluit mors disturbavit.

Codicem Veterem cum Ritschelii exemplari iterum contulit Hugo Hinck, cuius lectiones plerumque Lorenzii testimonio confirmantur: in paucissimis quibusdam iisque levissimis rebus, ubi differt Lorenzii testimonium, ex ipsa re facile cognosci potuit, utri fides habenda esset. Codicum Decurtati et Ursiniani novam collationem Schoellii mei beneficio debeo. Quae ex codice Lipsiensi et editione principe exhibui, ex Ritschelii editione, eius collatione ipsa hic illic inspecta, transcribere non dubitavi.

De vetere Pseudoli didascaliam, quae una cum quindecim versuum argumento scripta est in pagina 119, explicatius dixit Ritschelius Parergon p. 283 sqq. Loewio apparuerunt haec:

M· IUNIO M· FIL PR URB

AC M

Certa sunt omnia praeter p et puncta post M utroque loco: num post AC et M aliud quid scriptum fuerit, dici nequit.

‘Prologum fabulae’ — de quo quae hic profero ex Ritschelii praefatione repetita sunt — ‘prope totum iam ante Ambrosiani codicis aetatem intercidisse ex eo perspicitur certissime, quod pagina 120, in cuius superiore parte nihil nunc litterarum relictum est, Pseudoli versu 16 terminatur. Quodsi inscriptioni scaenae primae duos versus tribueris, uniusque praeterea intervallo a prologo ipsam fabulam distinctam fuisse putaveris\*), facile intelleges ab eisdem duobus versibus prologi extremis incepisse paginam, qui in ceteris

\*) Loewio teste primus paginae versus vacuus est: secuntur duo versus prologi et inscriptio, postquam unius versus interstitium est.